

toris inspicere & sermones Domini Dei tui, qui ab his suis mundi sapientibus deridentur, plenos docere sapientia spirituali. Habeant sibi ceteri si velint, suas opes, gemmata bibant, serico niteant, plausu populi delectentur, nostrae divitiae sint, in lege Domini meditari die nocteque Eccl. Ep. ad Paul. Vrb.

§. 6.

*Frequentes  
Patrum co-  
hortationes  
ad Scriptu-  
re S. lectio-  
nem.*

Cum ergo tantum thesaurum in Scripturis latitare cognoscerent, sollicite ad ejus studium adhortabantur, non ut legisse eam sufficere crederent, sed ut mediante hoc organo, quod Deus constituit, cum DEO suo quasi colloquerentur, jussa ejus indies accuratius discerent, ad sequelam inflammarentur, animasque suas quasi quotidiano hoc cibo satiarent, Christumque, qui in ea nobis sistitur, & quæcunque nobis acquisivit, vera fide sua facerent. CLEMENS ALEXANDR. sumptuoso studium hoc urget in *Pædagogo* suo, & cum ex illa omnes fontes sapientiae & veritatis emanent, non *utilem* solum sed & *necessariam* ejus lectionem esse judicat Strom. I. 6. ATHANASIUS tr. *Adversus eos, qui nec querend. nec loquend. ex Script.* præcipiunt. Tom 2. p. 295. multis verbis mentem ad S. Scripturam homines advertere jubet, ut semper in ejus intelligentia proficientes veritatem recte agnoscamus. JUSTINUS in *Dial.* cum *Tryph.* precari se omnes dicit, ut gratias Scripturas intelligendi participes fieri per ejus lectionem studeant. ORIGENES in *Genes.* c. 23. quotidianum est, inquit, *ad puto scripturarum, & hanc huius semper & plenum vas domum referendum.* HIERONYMUS Paulinum Presbyterum, qui ei sanctioris vitae propositum aperuerat, lectionem scripturarum adgredi jubet, & postquam affatim ei exponit, quæ in illa esset inventurus, *hoc fore in terris cœlestis regni habitaculum,* ait, *si inter eas vivat, istas meditetur, nihil aliud noscat, nihil aliud querat.* Epist. CIII. AMBROSIUS Christiani officium ita exprimit: *divina intra se volvatur oracula atque ad ea quæ complaceant Deo suum informet affectum.* Sit meditatus in lege, & nulla cum Dei mandata prætereant. & alibi: *ungamus oleo lectionis mentis nostræ laetatos.* Sit nobis tota die ac nocte exercitii usus in quadam cœlestium Scripturarum palastra, artusque animorum nostrorum salubris illa ferculorum esca confirmet. in Psal. CXVIII. tot.

§. 7.